

elatiores. Quod si hi qui ad capescendam rempublicam adhortantur aliquos, haec praecepta dant: quanto magis nos qui ad officium Ecclesiae vocamur, talia debemus agere, quae placeant Deo: ut et praetendat in nobis virtus Christi: et ita simus nostro probati imperatori, ut membra nostra arma justitiae sint arma non carnalia, in quibus peccatum regnet, sed arma fortia Deo, quibus peccatum destruat? Moriaturo caro nostra, ut in ea omnis culpa moriaturo: et quasi ex mortuis viventes, novis resurgamus operibus ac moribus. Haec sunt plena honesti et decori officii stipendia fortitudinis. Sed quia in omnibus, quae agimus, non solum quid honestum, sed etiam quid possibile sit, quaerimus, ne forte aggrediamur aliquid, quod non possimus exequi. Unde nos tempore persecutionis de civitate in civitatem concedere, imo ut ipsius verbo utar, «Fugere» vult Dominus¹⁾: ne temere aliquis dum martyrii desiderat gloriam, offerat se periculis, quae fortasse caro infirmior, aut remissior animus ferre ac tolerare non queat.

QUOD PROVIDENTIA MAGNUM MUNIMEN FORTITUDINIS SIT.

Nec rursus propter ignaviam cedere quis ac deserere fidem debet metu periculi. Qua gratia praeparandus est animus, exercenda mens, stabilienda ad constantiam: ut nullis perturbari animus possit terroribus, nullis frangi molestiis, nullis suppliciis cedere. Quae difficile quidem sustinentur; sed quia omnia supplicia graviorum suppliciorum vincuntur formidine, ideo si consilio firmes animum tuum, nec a ratione discedendum putes, et proponas divini iudicii metum, perpetui supplicii tormenta, potes animi subire tolerantiam. Hoc igitur diligentiae est, ut quis ita se comparat: illud ingenii, si quis potest vigore mentis praevidere quae futura sunt, et tanquam ante oculos locare, quid pos-

1) Matth. 10.